



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

145. Fer. 6. De corpore quoad sensus externos glorioso.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

*Feria 5. Dom. 3. post Pasch. 253*

*videte; quòd si Sancti in terris senserunt in osculis Christi fragrantiam, & suavitatem ineffabilem, qualis erit in cœlis Beatorum? Adde, quòd Sancti se amplexabuntur castissimè, quia erunt ut Angeli Dei.*

*Conf. 5. Corpus gloriosum in sensu auditus, ut voce spirituali & corporali laudabit Deum, suavissimâ musicâ cœlestis chori, sed super omnia vocis Christi harmoniâ, quam edet his verbis: Venite Benedicti Patris mei, percipite Regnum paratum vobis ab origine mundi: Benedicti per gratiæ adoptionem: paratum per æternam prædestinationem, ait Bonavent. in dicta solut. Tom. 2. & respondebit totus chorus Sanctorum Pauli Canticum: Regi seculorum immortalis, & invisibilis soli Deo honor, & gloria Si erunt sensus externi in cœlis beatiore, quò magis fuerint mortificati in terris: quis me continebit ab omnimoda sensuum externorum mortificatione.*

MEDITATIO CXLV.

*Feria 6. post Domin. 3. post Pascha.*

*De Corporis gloriæ potentijs internis Beatis.*

**A**spicam Corpus gloriosum, quo Beati omnibus potentijs sensitivis exultant in Deum, juxta illud Psal. 87. *Sicut letantium omnium habitatio est in te. Petam agnoscere sensuum*



sensuum internorum felicitatem in beatissimam eamque consequi.

*Conf. 1.* Corpus gloriosum in potentissimis sensitivis internis: Decet enim & sensus internus esse in perfectione ultima, & in actu secundo. Imaginationem, & appetitum sensitivum, ut non solum delectetur in objectis a sensibus perceptis, sed multo magis in apprehensione Dei sub formis sensibilibus immensæ claritatis, & infinitæ dulcedinis, juxta illud: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*, quisque juxta suam capacitatem. Præterea habebit appetitus sensitivus ingentem delectationem deductam ex conjunctæ voluntatis redundantia.

*Conf. 2.* Corpus gloriosum purissimum in affectu: Sic enim erit anima conjuncta corpori, sicut separata, nihil nocenti recipiens, vel impediendi: cum autem separata futura sit, sicut Angeli incapax affectus carnalis, sic erit etiam in corpore. Adde, quod gaudium de Deo in sensu appetitus, quia sufficientissimum est, & omnia alia in se perfecte continet, nullum aliud admitteat: O quid erit *videre Sanctos, esse cum Sanctis: & esse Sanctum* D. Aug. in Ps. 26.

*Conf. 3.* Corpus gloriosum globos celestes perambulans quinque argumenta latitudinis incredibilis percepturum, **1.** Ex loci amorem



*Sabbato Dom 3. post Pascha. 255*

amoenitate, quam possident. 2. Ex jucunda societate, in qua regnant. 3. Ex corporis glorificatione, quam habent. 4. Ex mundo, quem contempserunt. 5. Ex inferno, quem evaserunt. Si sensus interni corporis gloriosi eò erunt gloriosiores, quò magis in terra fuerint mortificati, vel quo eorum tyrannidem fortius & patientius subegerimus, quis nolit eos subigere.

MEDITATIO CXLVI.

*Sabbato post Domin. 3. Paschæ.*

*De septem gaudijs Corporis gloriosi*

*B. Virginis.*

**A**spiciam eas, quæ Corpori glorioso debentur dotes. Petam intelligere quomodo ijs B. Virgo fuerit magis dotata.

*Conf. 1.* Quomodo magis debeat Impassibilitas B. Virgini: Quia fuit sine omni labe semper.

2. Magis Ei debetur Claritas: quia plura tulit adversa, & quia est Mater DEI.

3. Magis Ei debetur Agilitas, & Subtilitas; quia est Domina omnium, etiam Angelorû.

4. Major Ei debetur locus & spatium: quia est Regina cæli, & universi.

5. Majores Ei debentur Aureolæ: quia est Regina Martyrum, Regina Confessorum, Regina Virginum.

6. Major